

suam. Nam actio de se prava talis manet, etiamsi, me cooperationem denegante, multi praesto essent qui eandem praebent. (1)

**III.** Cooperatio materialis licita est, quando praestatur actione in se bona vel saltem indifferenti et datur ratio sufficiens ut peccatum alterius ex ea secuturum, permittere possim, seu, quod in idem recidit, quando habetur incommodum relative grave in deneganda cooperatione.

Haec mera applicatio est principii statuti n. 14.

**IV.** Ad coonestandam cooperationem materialem eo gravior causa requiritur quo :

1° Probabilius est alterum, denegata cooperatione, non esse peccatum, sive id nequeat, sive nolit. Ideo major causa requiritur ut carnes, die prohibita, praebentur ei qui legem transgressurus sit in domo paterna quam in faberna.

2° Propius conectitur actio cooperantis cum principali peccato. Ideo gravior ratio requiritur ut liceat ordinare characteres ad librum pravum imprimendum quam ut liceat ad eundem finem chartam praeparare.

3° Gravius est peccatum ad quod concurritur, praesertim si laedit bonum commune vel jus innocentis. Ideo multo gravior causa requiritur ut quis adjuvetur ad stuprandam mulierem quam ad fornicandum. (Lehm. I. n. 649)

#### § 7. DE QUIBUSDAM SPECIEBUS SCANDALI VEL COOPERATIONIS.

**236.** Cum fere innumerae sint, praesertim nostris temporibus, utriusque hujus argumenti applicationes, paucae hic subjiciemus quae ad solvendo multos alios casus, tamquam exempla, conducere queant; scandalum autem cum cooperatione jungemus eo quod magnam inter se similitudinem habent et saepe simul ex eadem occasione nascuntur.

##### I. De interventu catholicorum in funeribus civilibus.

1° Per se nullum peccatum admittunt comitantes funus quod pompa religiosa caret eo quod Ecclesia honorem christianae sepulturae defuncto, ex. gr. ob suicidium, denegavit: ita enim officium mere civile seu obsequium humanitatis exhibetur.

2° Si funera sollemniter peraguntur absque caerimoniis religiosis

(1) Quandoque cooperatio quae fit per actum in se malum, puta ponendo partem ritus superstitiosi, vocatur formalis: quae quaestio nominis est. Exemplum habes in resp. S. C. de Prop. Fide 2 Julii 1827. (Coll. P. F. n. 1731)

quia defunctus ita sepeliri voluit, per se non licet iis interesse; immo etiam id graviter illicitum foret si, *in concretis adjunctis*, talis interventus communiter censeretur favor impiorum conatibus praestitus vel grave scandalum gigneret. Hinc ratio habenda est locorum et temporum. Nam facilius haec assistentia scandalo vel specie mala caret, et communiter tamquam obsequium mere civile habetur, in iis locis in quibus talia funera jam saepe peracta sunt et parum attenduntur. Id praesertim obtinet pro iis qui, propter rationem omnibus notam, puta cognationis, amicitiae cum defuncto vel ejus familia, aegre abesse possunt. Vix autem scandalum deerit ubi talia funera rarius contingunt ideoque animos magis commovent, vel ubi cum apparatu extraordinario celebrantur.

Eadem applicanda sunt quando defunctus se ante mortem cum Ecclesia reconciliavit, sed, ob aliquod testamentum antea factum vel perversam cognatorum voluntatem, hoc impio ritu effertur.

Ubi vero apponuntur feretro insignia massonica, vel massones, liberi cogitatores similesve cum vexillis suis interveniunt, funera necessario induunt rationem impiae manifestationis, ideoque per se graviter illicitum est iisdem interesse. Cfr. Epistolam Pii IX ad Arch. Paris. 26 Oct. 1865 (Act. S. S. t. 11. p. 218)

3° Quando interventus hujusmodi funeribus est per se graviter illicitus, potest tamen excusari ob incommoda gravia quae e denegato interventu imminent, praesertim ubi hanc rationem facile omnes agnoscere possunt. Sic enim patebit assistentiam mere materialem praestari ad gravia damna vitanda. Ita excusarentur milites a ducibus suis coacti, bajuli feretri qui, si officium suum recusarent, vitae suae subsidio privarentur, orphani a superioribus orphanotrophii adesse jussi, etc. Rarissime incommoda vere gravia timenda erunt viris qui, ob honestiorem condicionem, minus a ceteris pendent: quare regulariter assistentiam suam funeribus scandalum grave daturis denegare debent.

Cfr. Berardi (Praxis Conf. nn. 166, 684); Villada (Cas. Consc. II. p. 103 seqq.); D'Annib. (I. n. 115); Aertnys (I. de Virt. theol. n. 8), etc.

##### 237. II. De aedificandis templis haereticorum, idolorum, etc.

1° Si haec cooperatio ex adjunctis habetur ut favor ab operariis, architectis, etc. praestitus haereticis, numquam licet. Hoc autem facilius contingit ubi agitur de secta recens exorta.

2° In iis locis quibus nondum exstant haereticorum templa, ut Romae, quando data est Instr. Card. Vicarii ad parochos Urbis (an. 1878), graviter peccant, saltem regulariter, "architecti, conductores, opificum domini qui curam et operam suscipiunt ad exstruendum et ornandum aliquod templum protestanticum. Quod ad ipsos vero mura-



rios aliosque opifices subalternos pertinet, ii possunt a peccato excusari, modo desit scandalum, neve quae facere iubentur faciant in contemptum religionis. „ (Instr. cit. n. 6)

3<sup>o</sup> In locis in quibus sectae haereticae jamdiu publice cultum suum exercent, architecti et operarum domini nequeunt talem aedificationem suscipere unice ob lucrum faciendum; excusarentur tamen si ob denegatam operam suam gravia detrimenta paterentur, puta si propterea a plerisque clientibus suis desererentur.

Templis haeticorum recte assimilantur Lehm. (l. n. 658) aedes franco-murariorum, et assimilanda videntur aedificia quae societatibus impiis, ex. gr. Socialistis, usui futura sint. At templis idolorum aedificandis operam dare numquam, etiam ad vitandum mortis periculum, licere, constanter respondit S. Sedes. (S. Inq. 8. Jan. 1851; Coll. P. F. n. 1748 etc.) Mahumetanis autem templis, gravis mali metu, manum admovere pluries permisit S. C. de Prop. Fide, ex. gr. 21 Nov. 1837. (Coll. P. F. n. 1733)

Quae de aedificatione per operarios, architectos, etc. dicta sunt, etiam et a fortiori applicanda sunt cooperationi quae detur per pecuniam ad templa haeticorum, idolorum, etc. aedificanda. Speciatim de pecunia conferenda ad aedificanda templa haetica, S. Poenit. an. 1822 (Buccer. Enchir. ad. n. 192) respondit id licitum esse tantum si hac ratione catholici, qui cultum in eadem ecclesia cum protestantibus celebrant, se ab hac scandalosa promiscuitate liberare possunt. Attamen Konings (Theol. Mor. I. n. 313) existimat id quandoque licere ad vitandum grave damnum privatum, puta ne mercatoris officina penitus a protestantibus deseratur. Facilius, in locis in quibus permixti protestantibus vivunt catholici, licet pecuniam conferre ad aedificanda vel sustinenda instituta quorum finis principalis non est religiosus, puta scholas, orphanotrophia, etc. modo publice talis cooperatio non consideretur tamquam favor falsae sectae praestitus, neque eadem pecunia insumatur ad pervertendos catholicos qui in iis institutis suscipiuntur. (Konings, l. c.; Lehm. n. 660)

Jam hodie in multis regionibus, ut in Belgio, omnibus patet Deputatos catholicos qui subsidiis in favorem cultus heterodoxi suffragantur, id facere ut graviora mala vitent, nullatenus ut sectae falsae faveant. Ideo id jam sine speciali protestatione in his regionibus licet. Insuper, cum subsidia data tandem e vectigalibus desumantur, si proportio inter subsidia et cives ad hunc cultum vel falsam opinionem pertinentes servatur, nihil aliud fit quam pecuniam horum civium transmittere ad ea instituta quae malunt: quae cooperatio satis remota prorsus excusatur iis rationibus quae generatim licitam reddunt tolerantiam civilem variarum sectarum.

### 228. III. De conficiendis vel vendendis rebus quae ad pravum usum destinantur.

1<sup>o</sup> Si res conficiendae vel vendendae tales sunt ut non nisi ad pravum usum inservire possint, numquam licet eas conficere vel vendere, puta imagines prorsus obscenas et quae nulli utilitati scientificae, ut anatomiae studio, inservire possint; item libros ita obscenos, ut nullum honestum usum praebeant; instrumenta quae adhibentur ad copulam sine fructu peragendam.

2<sup>o</sup> Plerumque res habere possunt aliquem usum non peccaminosum. Sic idolorum imagines possunt adhiberi tamquam ornamenta, si artificiose confectae sunt, vel speciminis ergo in longinquas regiones mitti. Attamen, quando res natura sua valde conexas sunt cum malo usu, et prava intentio petentium vel ementium manifesta est, practice omnino illicitum est eas conficere vel vendere, quamvis quidam AA. id ex urgentissima causa licere autument. Cfr. Lehm. I. n. 657. Exemplo sit confectio vel venditio idolorum vel ornamentorum ad solum cultum idololatricum pertinentium in regionibus ethnicis.

Conficere emblemata franco-murariorum vel ornamenta in eorum aedibus facere, non est intrinsece malum: siquidem et illa emblemata ad alium usum adhiberi possunt et ornamenta, saltem generatim, nullam impietatem continent. Ideo, dummodo nulla detur sectae approbatio, id facere liceret in casu quo id denegans in gravissimam necessitatem incideret. (Lehm. l. c.) Ita et S. Inq. 31 Aug. 1785 declaravit licere christianis apud Mauros captivis sculperem in petra imaginem lunae crescentis. (Coll. P. F. n. 1709)

Similiter quando res magnum periculum abusus secum fert, ut venenum, non licet illud vendere, nisi moraliter constet emptorem ea non esse abusurum, vel eadem res tam saepe in bonum usum adhibeatur (quod de *quibusdam* venenis forte dici potest) ut jam passim illam omnibus vendere per leges vel consuetudines liceat. (S. Alph. n. 71; Sabetti, n. 198)

3<sup>o</sup> Res per se indifferentes, quibus multi abutuntur, ut aleas, fucos, liquores inebriantes, licet conficere et vendere ob solam lucri faciendi causam, dummodo non constet moraliter eum emptorem qui adstat eas ad finem pravum adhibere velle. Nam haec cooperatio remota est; ab uno autem denegata facile a multis aliis praestaretur. Hinc patet licite vendi carnes diebus abstinentiae.

4<sup>o</sup> Si ex adjunctis vel ementis declaratione certo constat de pravo usu ad quem res indifferens sit adhibenda, non licet eam conficere vel vendere, nisi, praeter amissionem lucri ob omissam venditionem, haberetur alia ratio proportionate gravis. Quanta autem haec esse debeat, prudenter in singulis casibus ope principiorum generalium (n. 235, IV)



determinandum est. Ex his liquet multo graviorem causam requiri ut aliquis vendat rem qua emptor usus sit ad injuriam tertio inferendam quam qua peccatum nemini nocivum commissurus sit. Ideo vix umquam a gravi peccato excusabitur qui pharmacum ad abortum procurandum vendit. Caupones vero ob metum cujuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum, possunt vinum ministrare iis quos sese inebriaturos esse praevident, vel carnes praebere, diebus velitis, omnibus eas petentibus. (S. Alph. n. 69) Quare, quando praevident plerosque hospites eas petituros esse, inquietandi non sunt si prandium communiter carnibus parant, dummodo iis qui abstinentiam servare volunt copiam id faciendi praestent.

5° Quae de rebus vendendis dicta sunt, fere applicanda veniunt iisdem locandis, propter utriusque contractus similitudinem. Speciatim licet domum locare meretricibus, iis in locis ubi ad majus malum vitandum tolerantur, maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis vel, ob situm domus, ansam majorem darent peccatis. (S. Alph. n. 70) Eadem applicentur ubi agitur de domo locanda cauponi praebenti choreas parum honestas, et similia. Gravior sane causa requiritur ut eam liceat locare viro vel coetui qui bono communi plurimum nocet, puta Socialistis; vix umquam id licebit quando, contractu denegato, hujusmodi nebulones alias aedes congruas reperire nequeant. Cfr. Vol. II. n. 596.

#### 239. IV. De ornatu muliebri.

1° Si mulier praevidet ex ornatu, etiam conveniente, aliquem in particulari scandalum passurum esse, tenetur semel vel bis ornatum illum dimittere, vel conspectum juvenis eam concupituri fugere; diutius non tenetur, quia id grave incommodum inferret. (S. Alph. n. 54) Reapse tamen raro id practicum erit: quia naturalis species et simplicior ornatus plerumque magis ad luxuriam provocabunt quam ornatus superfluus et exquisitus.

2° De consuetudine incedendi pectore denudato, sapienter S. Alph. (n. 55), praefatus se, ut concionatorem, pluries hunc usum fortiter exprobrasse, addit se, tamquam scriptorem, nihil aliud apud DD. reperisse, nisi:

a) " Quod illae feminae quae hunc morem alicubi introducerent, graviter peccarent. "

b) " Quod denudatio pectoris possit esse ita immoderata ut per se non posset excusari a scandalo gravi, tamquam valde ad lasciviam provocans. "

c) " Quod si non sit ita valde immoderata et alicubi adsit consuetudo ut mulieres sic incedant, esset quidem exprobrandum, sed non omnino

damnandum de mortali. „ Ut enim advertit Lessius (de Just. et J. l. 4. c. 4. n. 112), pectus censetur pars honesta, nec natura, aut pudor humanus postulat illud absolute tegi.

3° " De se vitiosum est quod mulier utatur veste virili, aut e converso: et praecipue quia hoc potest esse causa lasciviae. „ (2. 2. q. 169. a. 2) Attamen, seclusa intentione libidinosa vel gravi scandalo, peccatum hoc leve est; immo nullum, si adest justa causa. (S. Alph. n. 52)

#### 240. V. De libris vel ephemeridibus fidei vel moribus infensis. (1)

1° Lectio, emptio, retentio scriptorum pravorum, spectata tantum lege naturali, fieri potest illicita sive ob scandalum, sive ob cooperationem cum auctore, sive ob periculum proximum peccandi.

2° *Scandalum* dimetiendum est e regulis supra datis. (n. 232) Grave fiet peccatum ex hoc capite, praesertim si legens vel emens est persona magnae auctoritatis, puta clericus qui coram aliis legat ematve pravos libros vel ephemerides.

3° Quandonam *periculum proximum* sit declaratur Vol. II. n. 371. Speciatim in hoc argumento, attendendum erit:

a) Ad modum quo res fidei vel moribus adversae proponuntur a scriptore. Nam multum interest utrum error breviter innuatur an fuse defendatur, utrum turpia ratione scientifica an cum lenociniis aptis ad excitandam phantasiam et sensualitatem exponantur.

b) Ad indolem legentis. Nam multum refert utrum sit vir doctus an rudis, frigidus an propensus ad res venereas, assuetus ex.gr. ob studium vel exercitium medicinae, turpibus tractandis an ab his valde remotus.

c) Ad ipsam lectionem. Sic, praesertim pro scriptis fidei infensis, multo majus fiet periculum si leguntur singulis diebus vel hebdomadis quam si semel iterumve, data occasione, perlustrantur.

d) Ad varia adjuncta quae pravum effectum impedire vel augere possunt. Ita periculum fidei, quod esset omnino proximum si nihil praeter libros vel ephemerides pravos legeretur, quandoque removeri posset si saepe bonorum scriptorum antidotum sumeretur.

4° Ad *cooperationem* quod attinet, vix ullum dubium esse potest de editore vel domino typographiae qui prava scripta edenda suscipiat: hi enim in diffundendis pravis libris vel ephemeridibus praecipuam partem habent. Ideo, quando norunt librum esse aperte malum, illius editionem impressionemve sine peccato gravi admittere nequeunt. De

(1) De praecepto ecclesiastico quo haec prohibeantur legi, retineri, etc. agemus in Tr. de Praec. Ecclesiae. Hic igitur tantum adnotabimus ea quae lex naturalis de hoc argumento suppeditat.



iis autem qui varia ratione editori vel typographo cooperantur, haec nota :

a) Ut judicetur num operarii typographici *ratione cooperationis* graviter peccent, magis practicum videtur distinguere inter indolem officinarum in quibus operam navant quam inter singulos libros quibus imprimendis opem dant : nam horum naturam multi ignorare solent. Insuper attendenda est distinctio quam AA. communiter ponunt inter cooperatores proximos et remotos : proximos, hic censent operarios qui typos ordinant vel atramento tingunt, chartam typis imponunt, etc. ; remotos, eos qui chartam praeparant vel libros impressos ordinant. (Gury, I. n. 253) Merito tamen notat Konings (Th. Mor. I. n. 215) : hodie remote tantum plerosque concurrere, praesertim ubi machinae artificiosae motibus impressionis opus peragitur.

Jamvero ii qui laborant in officinis e quibus nihil nisi prorsus malum prodit, ex. gr. ephemerides aperte impiae vel obscenae, biblia et tractus protestantici, si proxime impressioni cooperantur, tenentur per se sub gravi eas officinas deserere ; attamen, cum talis cooperatio non videatur intrinsece mala (Laymann, l. 2. tr. 3. c. 13. n. 5), possent manere, secluso gravi scandalo, donec aliam officinam reperirent in qua salarium ad familiam suam alendam sufficiens lucrarentur. Remoti autem cooperatores et ipsi quidem ad aliam officinam adeundam obligantur, non tamen cum notabili suo detrimento. At si agitur de iis officinis in quibus excuduntur ephemerides non ita aperte malae, vel libri nunc boni, nunc mali praelo mandantur, tunc neque ipsi cooperatores proximi obligantur ad officinam omnino bonam, cum notabili detrimento, adeundam. Cfr. Villada, Cas. Conse. I. p. 110 seq. De Stat. Foed. Amer. notat Konings (l. c.), quod tamen aliis regionibus caute applicandum est : " Si ejusmodi cooperatio, justa de causa, non liceret, catholici in his provinciis vix operam suam praestare possent in typographis : catholica enim vel omnino innoxia paucissima sunt. Adde : communi opinione etiam timoratorum, sic cooperantes generatim non damnari. "

b) Pravas ephemerides in locis publicis vendentes assimilandi sunt proximis cooperantibus. Ideo, si victum sibi comparant vendendo ephemerides fidei aut moribus vere infensas, debent quamprimum aliam victus comparandi rationem quaerere ; possent tamen in isto commercio perstare quamdiu gravissima necessitate premuntur, puta ne mendicare cogantur. At ubi scripta obscena vel valde impia vendunt, rarissime id licebit. De bibliopolis pravos libros vendentibus vel locantibus cfr. n. 456.

c) Pravis ephemeridibus subscriptionem (abonnement) dare, licitum videtur omnibus qui eas, ob quamlibet causam, legere tuta conscientia

possunt : jus enim ad finem dat jus ad medium necessarium. Possent quidem, absolute loquendo, plerique eundem finem obtinere emendo singula ephemeridum exemplaria. Sed ad medium adeo incommodum non videntur obligari eo quod subscriptio paulo efficacior cooperationem praestat pravis diariis : nisi quandoque, denegata subscriptione, spes fundata esset ut tales ephemerides supprimerentur, vel si scandalum oriretur e nomine subscribentis, ex. gr. sacerdotis.

d) Cauponibus, tonsoribus et similibus non licet clientibus proponere ephemerides quae fidei moribusve prorsus adversentur, etiamsi propterea clientes multi eos derelicturi sint ; licebit autem propter causam rationabilem proponere eas quae tantum raro aliquid minus rectum continent. (Gury, I. n. 256) Attamen si fructus non speratur, confessarius poterit quandoque ab aperta monitione abstinere vel curare tantum ut malum, appositis bonis ephemeridibus, minuatur. (Lehm. I. n. 664)

e) Ephemeridibus vel periodicis, quae religionem aut bonos mores data opera impetunt, nuntios de rebus vendendis, locandis, etc. inserere vel ad eadem articulos imprimendos mittere, regulariter illicitum est : plerumque enim (nisi de erroribus refutandis agatur) aliquis favor pravis scriptis praeberetur. Attamen, cum generatim hujusmodi cooperatio, praesertim per nuntios insertos, sat levis sit, plerumque qualibet justa causa cohonestabitur. Sed quandoque ob gravem favorem praestitum, puta a scriptore peritissimo, gravis causa requiretetur vel etiam nulla sufficeret, puta si pessima scripta hac cooperatione cum magno fidelium scandalo promoverentur. Huc pertinet a. 22. Const. Leonis XIII *Officiorum ac munerum* (25 Jan. 1897). quo nihil juri naturali superadditur : " Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam nisi suadente justa et rationabili causa publicet. "

#### 241. VI. De choreis.

1° Etsi, speculative loquendo, choreas ducere actus virtutis esse queat, practice tamen, ut fieri solent in regionibus nostris, res periculosa et multorum peccatorum occasio dicenda est. Quare confessarii est ab iis prudenter avertere omnes quidem, sed praesertim juvenes utriusque sexus qui hucusque caste vixerint.

2° Chorearum honestas praecipue pendet a personis quae iis interveniunt et a ratione saltandi : ideo confessarius, sive in permittendis, sive in prohibendis choreis, magnopere ad utrumque, praesertim ad prius, attendat. Ita solent multo minoribus periculis obnoxiae esse choreae quae inter paucas familias honestas ducuntur quam prorsus publicae, rusticae quam oppidanae. Quidam AA. severissime damnant rationem saltandi hodie usitatam, qua viri mulieres tam arte amplecti debent, ut